



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Musica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A animi supra sensum elati negotium est, hoc quod præ manibus est nobis, uni applicitum est sensui. Vocabulum enim *περὶ σιωπῆς*, inter alia significata Mysterium etiam significat, & superius Cicadam mystici hominis hieroglyphicum Aegyptiis esse commonstravimus. Sane vero Propertius in garrulitatis significatum Acanthidem lenam vocat, sermonis tadio & loquacitate, auriumque offensione: nam acanthias Cicada epitheton est: quin & Cicada species Hesychio. Ajunt porro, ex eo animalium genere feminas semper taciturnas esse: quod nonnulli ad frigiditatem referunt, qua sint egregie prædita.

Hinc illud  
*περὶ σιωπῆς*  
*ἢ σιωπῆς*  
*ἢ σιωπῆς*  
Cicada 90.  
calior.

NOBILITAS GENERIS. CAP. XLV.

Illud minime prætereundum, Cicadam apud Athenienses generis nobilitatem significasse: quod apud Thucydidem in liminari pagina comperies, qui *περὶ σιωπῆς*, hoc est, Cicadigeros eos appellat, quod apud Athenienses institutum erat, Cicadas ex auro capitis ornamento gestare, quæ indigenas & ingenuos, ab advenis & servis distinguerent. Causam nonnulli comminiscuntur, quod Cicada maxime omnium animalium indigena videantur: in ea siquidem regione qua genita, videntur moriunturque, cum reliqua serè omnia animalia aliquo migrent, neque sedem ullam firmam habere perseverent. In unaquaque vero civitate & municipio eo nobiliores dicimus, quorum majores pluribus ante annis in patria sua claruerint, objectatumque ideo Ciceroni totiens in opprobrium, quod vir novus esset: quin plurimum odiosa solet esse novorum hominum ambitio, cum Rempub, in quam recens adsciti fuerint, administrare contendunt.

Cicada omnium animalium indigena.

MUSICA. CAP. XLVI.

Quamvis autem alii aliter Cicadarum cantum acceperint, plures illi fuisse qui musicam hinc intelligi censuerint: ideoque Cicada in citharædi statua cithara insidens, hieroglyphicum dedicabatur, quem morem Strabo latius interpretatur: quamquam nusquam defunt Græcorum fabulæ, Eunomi citharædi statuam celebrantium cum cithara, cui Cicada insideret, propterea quod is cum Aristone Rhegino, Pythiis, musico certamine destitutus est, chorda una tracta: verum ajunt Cicadam adfuisse supervolantem, quæ suppleverit vocis illius vicem. Et apud Theocritum pastor, qui Thyrsin commendare vult à carminis suavitate, melius eum canere quam Cicadas, rustica & pastorali simplicitate, dixit. Deque hac Plotinus mihi videtur intellexisse potissimum, cum homines musicis modulis affectos ac delimitos, in animalia musica renasci dixerit. Quin & fabella recitatur à Platone, fuisse olim quosdam musicos homines, qui cantu adeo allicerentur, ut præ modulatione cibumque potumque negligerent, eo que demum macilentia redactos, ut in Cicadas abierint, qui famem adhuc nullo alio cibo quam cantu levant. Videre vero est homines eos qui fermocinationibus & loquacitati prolixius æquo dediti sunt, corpore esse majori ex parte graciliori: corpora enim extenuari sermone nimio, Philosophi profitentur, quorum è numero Lucretius noster ita philosophatur:



In Daphnide sic:  
*περὶ σιωπῆς*  
*ἢ σιωπῆς*  
*ἢ σιωπῆς*  
Cicada.

Ne te fallat item, quid corporis auferat, & quid detrahat ex hominum nervis ac viribus ipsis  
Perpetuus sermo, nigraï noctis ad umbram  
Aurora productus ab ex oriente nitore;  
Præsertim si cum summo est clamore profusus.  
Sed satis jam obstrepere cum Cicada visi sumus: quare sit jam nugandi modus.

Libr. 4.